



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Articulus III. Qui possint esse Judices?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

plecti juxta boni viri arbitrium, licet illa electio per consequens cedat in utilitatem amici, modò amicitia ad hoc principaliter non moveat, docet Ludovicus Engel, *hoc tit. nu. 8.* sed rectius hoc negatur cum Layman *l. 1. sum. tr. 1. c. 5. nu. 16.* Nam in casu, quo Actor probatione non vincit Reum, hic absolvendus est; & pro eo pronuntiandum, seu sententiandum; verum sic jam accedit Reo pondus novum ex reflexione ad dictam regulam, quo pravalet adversus Actorem.

3500. Quæres 2. an Judex obligetur ad imponendam pœnam lege præscriptam? Resp. esse probabilius, quòd sic; ne lex pœnalis reddatur frivola, de quibus Zoësius *cit. à nu. 3.* Suarez *de legibus l. 5. c. 11.* nisi adsit justa causa, quæ vel suspendendam ad ad tempus, vel mittigandam suadeat, prout contingere potest ex varijs circumstantijs, ætatis immaturæ, ob sexus imbecillitatem &c. de quibus *lib. 5. ubi de delictis puerorum.*

3501. Quæres 3. an Judex, certo sciens, Reum falsis allegationibus onerari, ac convinci, possit eum absolvere, vel debeat condemnare? Zoësius *cit. nu. 7.* affirmat, quòd debeat eum condemnare, si solum agatur civiliter, quia his pravalet bonum commune; negat, si criminaliter; quia innocentem cognitum, ut talem, occidere, est intrinsecè malum; ita etiam sentit Layman *l. 3. summa tr. 6. c. 2. n. 8.* oppositum tenens in causis civilibus, & minoribus criminalibus; sed de hoc jam egimus alibi.

3502. Quæres 4. qualiter procedere debeat Judex? Resp. quòd in causis civilibus procedere non debeat, nisi postularis; in criminalibus verò *ex officio*, seu per viam inquisitionis; Layman *lib. 3. summa, tr. 6. c. 2. n. 2.* qui etiam annotat, Judicem non teneri, ordinariè, retractare sententiam justè latam, propter instrumenta postea recepta; sic etiam Molina *tom. 2. d. 568.*

& plura Layman,
loc. cit.

ARTICULUS III.

Qui possint esse Judices?

2503. Resp. quòd omnes, qui nec naturà, nec lege prohibentur, ut dicitur *3. q. 7. c. 1. & L. 12. §. 7. ff. de Judicjs.* Propter hoc, officium Judicis exercere non possunt 1. servi, *L. cum Prator ff. de re judic.* nisi interveniat error communis, *L. Barbarius ff. de officio Pratoris*, 2. fœmina, *c. mulierem 33. q. 5. L. alienum C. de Procurat.* nisi habeat administrationem bonorum, quibus jurisdictio, vel Imperium annexum est, *c. dilecti, de arbitris;* vel sit Superior, ut Abbatissæ respectu subditorum, sic Barb. *in c. dilecta, de majorit. & obed. tertio minor 20. annis, c. cum vigesimum, 41. de offic. delegat. ibi: cum vigesimum annum peregeris, dari potuisti in ætate hujusmodi delegatus;* de jure autem civili minor 18. annis, *gloss. in cit. L. cum Prator, V. impubes;* quartò, notati juris infamiâ, *cit. L. cum Prator:* quintò excommunicati, suspensi, hæretici, & schismatici, *c. quod Sedem, 10. de offic. Judic. Ordin.* ubi Pontifex, ab Archiepiscopo Turonensi consultus, *an ipse impeditus possit alteri Coepiscopo committere suum munus:* respondit Pontifex, *quòd sic; dummodo quòd in tali articulo constituto, & tuas vices (ut dictum est) tibi committere licet; & consecrandus, munus debet ab eo consecrationis accipere: cui eas duxeris committendas, dummodo Catholicus habeatur, & impedimentum ei ex subtractione gratiæ Apost. Sed. non obsistat. cap. audivimus 24. q. 1. ubi Alexander II. ad Valerianum Episcopum Martyrem scribens, audivimus, inquit, quòd Henricus, Ravennas dictus Archiepiscopus, visus sit, te excommunicare. Verum, quia excommunicatus, te excommunicare non potuit, Apostolica auctoritate te, tuosq; absolvendo, mandamus, e inde nunquam curare, c. excommunicamus 13. de hæret.*

